

1006 fane accidit, ut antequam senex, alioquin fœlicissimus, vita decederet, duobus extremis malis, fame & pestilentia civitatis, filii quoque & nurus pene continuatis funeribus, prosperarum sit rerum cursus deformatus. Cum Capitaggeranis & Saccensibus actiones interim diversas suscipere coactus est: cum his de portoriis solvendis, quæ & *Ripatica* vocabant; cum illis de paludibus Lauretanis: verum utrumque negotium ex sententia Reique publicæ dignitate transegit. Ea tempestate Phaledri, familia illustris, ædem Divo Benedicto cum cœnobio, privato sumptu construxere: quam prædiorum longe lateque circumjectorum donatione ditarunt. Ducarii & templi instaurationem miro studio absolvisse dicitur. Bona sua testamento trifariam partitus est: partem unam, atque eam ipsam non parvam, liberis distribuit: alteram in pauperum alimoniam, sacrarumque ædium instaurationem impendit: quæ reliqua fuit, spectaculis publicoque congiario ab eo adhuc in humanis agente consumpta dicitur. His domi forisque gestis, quum annos duodeviginti Reipublicæ præfuisset, humanis decessit: corpus in Zachariæ atrio mœsta civitas magnifico exequiarum apparatu condidit.

Phaledri ædem Benedicto construxit.

1009
Urbscoli laudatissimi Principis testamentum & mors.

Succedit Otho filius,

1016
Hadrienses superat.

1023
Vincit Heresimum Dalmatia Regulum.

Ei Otho filius magno populi consensu surrogatur, alta indole juvenis, & vere patre suo & avo, viris optimis, dignus. Rempublicam non minori virtute, quam expectatio fuerat, administrare cœperat, quum ejus fama impulsus Geica Pannoniæ Rex filiam illi matrimonio locavit. Hadrienses Venetos fines infestantes, circa Lauretum, inter Atheis & Padi, ostia magno prælio vicit: victisque his conditionibus pacem dedit, ut res Lauretanis redderent, atque in posterum omni injuria abstinere. Sed ita clade illa ad Lauretum accepta Hadriensium opes concidisse dicuntur, quæ non parvæ ad eam diem fuere, ut jam inde retrolabentes ad nihilum fere sint redactæ. Infestabat sub id tempus Murcimirus Croaciæ Regulus (apud quosdam Heresimum pro Murcimiro scriptum reperio) contra fœdera nuper icta Jaderenses, eorumque fines crebris excursionibus vastabat: senserantque jam & aliæ finitimæ urbes Croacina arma. Otho ulturus fuorum injuriam, in barbarum movit: quem acie congredi ausum, modi-